



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtru[m] omnis rapina sit peccatum mortale? 8

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

Utrum rapina possit fieri sine peccato?

375

AD octauum sic proceditur. Videtur, quod rapina possit fieri sine peccato. Præda enim per violentiam accipitur: quod videtur ad rationem rapinæ pertinere, secundum prædicta. Sed prædam accipere ab hostibus licitum est. Dicit enim ¶ Amb. in lib. de Patriarchis, Cùm præda fuerit in potestate victoris, decet militarem disciplinam, ut regi ferentur omnia, scilicet ad distribuendum. Ergo rapina in aliquo casu est licita.

* a. 4. hii
ius q.
¶ l. 1. de
Abrahâ,
c. 3. a me-
dio, t. 4.

¶ 2 Præterea, Licitum est auferre ab aliquo id quod non est eius. Sed res quas infideles habent, nõ sunt eorum. Dicit enim August. in epistola ad Vincentium Donatistam, Res falsò appellatis vestras, quas nec iustè possidetis, & secundum leges terrenorum regum amittere iussi estis. Ergo videtur quod ab infidelibus aliquis licitè rapere possit.

Epist. 48.
in 2. pag.
ante finē
epist. 10, 2.

¶ 3 Præterea, Terrarum principes multa à suis subditis violenter extorquent: quod videtur ad rationem rapinæ pertinere. Graue autem videtur dicere, quod in hoc peccent: quia sic ferè omnes principes damnarentur. Ergo rapina in aliquo casu est licita.

SED contra est, quod de quolibet licitè accepto potest fieri Deo sacrificium, vel oblatio. Non autem potest fieri de rapina, secundum illud Isai. 61. Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocaustum. Ergo per rapinam aliquid accipere non est licitum.

RESPONDEO dicendum, quod rapina quandam violentiam & coercionem importat, per quam contra iustitiam alicui auferitur quod suum est. In societate autem hominũ nullus habet coercionem, nisi per publicam potestatem. Et ideo quicunque per violentiam aliquid alteri auferat, si sit priuata persona, nõ utens publica potestate, illicitè agit, & rapinam committit: sicut patet in latronibus. Principibus verò potestas publica committitur ad hoc, quod sint iustitiæ custodes. Et ideo

Sec. Sec. Vol. ij.

K

nom

non licet eis violentia & coactione uti nisi secundum iustitiam tenorem: & hoc vel contra hostes, pugnando; vel contra ciues malefactores, puniendo. Et quod per talem violentiam auferitur, non habet rationem rapinae, cum non sit contra iustitiam. Si vero contra iustitiam aliqui per publicam potestatem violenter abstulerint res aliorum, illicitè agunt, & rapinam committunt, & ad restitutionem tenentur.

Ad primum ergo dicendum, quod circa prædam distinguendum est. Quia si illi qui depraedantur hostes, habeant bellum iustum, ea quæ per violentiam in bello acquirunt, eorum efficiuntur: & hoc non habet rationem rapinae: unde nec ad restitutionem tenentur. Quamuis possint in acceptione prædæ iustum bellum habentes peccare per cupiditatem ex praua intentione: si scilicet non propter iustitiam, sed propter prædam principaliter pugnent. Dicit enim *

*serm. 19.
cir. prin.
1. 10. et ha
betur 13.
q. 1. c. Mi
litare.*

Aug. in lib. de verbis Domini, quod propter prædam militare, peccatum est. Si verò illi qui prædam accipiunt, habeant bellum iniustum, rapinam committunt, & ad restitutionem tenentur.

Ad secundum dicendum, quod in tantum aliqui infideles res suas iniuste possident, in quantum eas secundum leges terrenorum principum amittere iussi sunt: & ideo ab eis possunt per violentiam subtrahi, non priuata auctoritate, sed publica.

Ad tertium dicendum, quod si principes à subditis exigant quod eis secundum iustitiam debetur, propter bonum commune conseruandum, etiam si violentia adhibeatur, non est rapina. Si verò aliquid principes indebitè extorqueant per violentiam, rapina est, sicut & latrocinium. Unde dicit * August. in 4. de ciuitate Dei, Remota iustitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia? quia & latrocinia quid sunt, nisi pauca regna? Et Ezech. 22 dicitur, Principes eius in medio eius, quasi lupi rapientes prædam. Unde & ad restitutionem tenentur, sicut & latrones. Et tanto grauius peccant, quam latrones, quanto periculisiosius

*li. 4. c. 4.
in princ.
20. 5.*

Iosius & communius contra publicam iustitiam agunt, cuius custodes sunt positi.

ARTIC. IX.

Virum furtum sit grauius peccatum, quam rapina? 376

AD nonum sic proceditur. Videtur, quod furtum sit grauius peccatum, quam rapina. Furtum enim super acceptionem rei alienæ habet adiunctam fraudem & dolum, quod non est in rapina. Sed fraus & dolus de se habent rationem peccati, vt supra * habitum est. Ergo furtum videtur esse grauius peccatum, quam rapina.

inf. q. 73. a. 3 ad 2 Et q. 116 a. 2 ad 1 Et q. 114 a. 2 ad 4 q. 55. a. 4 c. 5. li 4. c. 9. to. 5.

¶ 2 Præterea, Verecūdia est timor de turpi actu, vt dicitur in 4. Ethic. Sed magis verecundantur homines de furto, quam de rapina. Ergo furtum est turpius, quam rapina.

¶ 3 Præterea, Quanto aliquod peccatum pluribus nocet, tanto grauius esse videtur. Sed per furtum potest nocementum inferri & magnis & paruis per rapinam autem solum impotentibus, quibus potest violentia inferri. Ergo grauius videtur esse peccatum furti quam rapinæ.

SED contra est, quod secundum leges grauius punitur rapina, quam furtum.

RESPONDEO dicendum, quod rapina & furtum habent rationem peccati, sicut supra * dictum est, propter inuoluntarium, quod est ex parte eius cui aliquid aufertur: ita tamen quod in furto est inuoluntarium per ignorantiam, in rapina autem est inuoluntarium per violentiam. Magis est autem aliquid inuoluntarium per violentiam, quam per ignorantiam: quia violentia directius opponitur voluntati, quam ignorantia. Et ideo rapina est grauius peccatum, quam furtum. Est & alia ratio, quia per rapinam non solum infertur alicui damnum in rebus, sed etiam vergit in quandam personæ ignominiam siue iniuriam. Et hoc præponderat fraudi vel dolo, quæ pertinent ad furtum. Vnde patet responsio. Ad primum.